DISPUTATIO INAUGURALIS

De

VARIOLIS,

Quam

AUSPICE DIVINO NUMINE,

AUTHORITATE & DECRETO
Magnifici & Ampliſſimi Collegii Medici
BASILIENSIS,

Pro

SUMMIS IN ARTE MEDICA DOCTORATUS
Honoribus ac Privilegiis ritè
conſequendis,

Publicè examinandam proponit

JOH. CONRADUS HOLLANDERUS,
Scaphuſianus,

Die 15 Martij *Ann.* M DC LXVII.
Horis locoq́ue conſuetis.

BASILEÆ, Typis JOH. JACOBI DECKERI,
Academiæ Typographi.

33

VIRO

Reverendo, Clariſsimo,

D. JOH. CONRADO HOLLANDERO,

Verbi Divini apud SCAPHVSIANOS
Miniſtro vigilantiſſimo, Patri plurimùm honorando,

VIRO item

Ampliſsimo atq; Prudentiſsimo,

D. TOBIÆ HOLLANDERO,

Reipublicæ SCAPHVSIANÆ Tribuno
Spectatiſſimo, Fratri plurimùm
colendo, chariſſimo,

Haſce theſes inaugurales
offert

JOH. CONRAD. HOLLANDERVS.

THESIS I.

VAriolarum nomen, ſive à varis derivare velis, quòd ſimilem cum his figuram obtineant, ſive ab effectu illarum, quòd cutem variare ſoleant, mihi perinde eſt. Multi ἐξανθήματα, ἐκθύματα, ἐκφύματα de Variolis interpretantur, cùm tamen Scriptores Græci vocabulis hiſce, in locis à contraria parte citatis, æquivocè valde, & in lata ſignificatione pro quavis cutis excreſcentia utplurimùm utantur. In genere nihil aliud ſunt Variolæ, quàm puſtulæ ex ebullienti in vaſis ſanguine, qui à facultate expultrice per κρίσεως quendam motum ad cutem protruſus eſt, genitæ, ut impuritates à corpore ſegregentur.

II.

Omnes Variolarum differentiæ unius deſcriptionis cancellis comprehendi nequeunt. Aliæ de ſanguine, vel bile, vel pituita, vel melancholia magis participant: (ex tenui & bilioſo morbilli, ex ſeroſo κρυσταλλοειδεῖς, ex craſſiori verò Variolæ generantur.) Quædam externas partes tantùm occupant; quædam externas & internas ſimul: nonnullę citò, aliæ tardè erumpunt, (ſæpiſſimè tamen in pueritia, rariùs in juventute, rariſſimè in ſenectute) nonnunquam ſemel egreſſæ retrocedunt: utplurimùm colore in baſi rubræ, in faſtigio albæ ſunt: rariùs virides, violaceæ, lividæ, nigræ, quæ malignitatis notæ ſunt: quædam ad vitam, aliæ verò ad mortem terminant: nonnullæ gravibus ſtipatæ ſunt ſymptomatibus, ut vigiliis, deliriis, convulſionibus, virium defectu, dyſenteria, vomitionibus: quædam leviter ægrotantem tractant, nonnunquam ἐπιδημίαι

ſunt, alio tempore [illegible] : in quantitate etiam tam continua quàm diſcreta variant: in figura item, cùm aliæ faſtigiatæ, aliæ verò latæ & depreſſæ ſint.

III.

Illas tantùm Variolas pro morbis habemus, quæ primò & per ſe actiones lædunt, v. g. Variolæ palpebrarum motui hujus partis obſunt. Quæ interventu alicujus morbi officiunt, cauſæ appellandæ ſunt, v. g. variolæ tracheæ, inteſtinorum, quia mediante obſtructione, quam pariunt, reſpirationem, vocem & fœcum tranſitum impediunt. Quæ nulla incommoda actionibus afferunt, ſymptomata vocandæ ſunt.

IV.

Multiplices morbi in Variolis occurrunt: intemperies compoſita & materialis tùm febrem tùm puſtulas comitatur: vitiata figura ex facie imprimis patet: cavitates v. g. aurium, faucium ſæpè comprimuntur vel obſtruuntur: ſuperficies corporis mutatur, quando quædam cutis partes eminent, quædam depreſſæ ſunt: tumores varii magnitudinem augent, qui non tantùm ex ſanguine puſtulas producente oriuntur, verùm etiam ex calore effervеſcentis ſanguinis, quo partes dilatantur, & ob vapores craſſos à prædicto calore emiſſos elevantur: diminuitur magnitudo, quando à calore febrili, inedia, vigiliis corpus emaciatur; item quando Variolæ foveas poſt ſe relinquunt: imminuitur numerus, dum Variolæ corrodendo v. g. aures vel nares auferunt: connexio vitiata ex palpebris commiſſis apparet: continui ſolutio, tùm erodendo, tùm diſtendendo hîc perficitur.

V.

Qui Variolis decumbunt ἀπόῤῥοιαν, ſive defluvium, velut ſemen quoddam continuè emittunt, quod ſemen in corpore diſpoſito eundem morbum producit. Malè quidam hinc probare conantur, quòd Variolæ ſemper malignæ exiſtant, quòd ſemper contagioſæ ſint, hoc enim malignis morbis cum aliis quibusdam commune eſt, quales ſunt φθίσις, ſcabies.

VI.

De cauſa Variolarum multùm inter ſe diſſentiunt Authores. Fernelius lib. 2. de abdit. rer. cauſ. c. 12. exiſtimat cauſam

ſam

ſam Variolarum eſſe aërem venenatâ qualitate infectum, quæ tamen levior ſit quàm in peſte: verùm Variolas ſemper, & à ſolo aëre inquinato, ſine cauſæ alicujus internæ concurſu produci, negamus, quia nunquam σποραδικαὶ forent. Nam aër cauſa communis eſt, at poſitâ causâ communi ſufficienti, morbi ἐπιδήμιοι producuntur: dari autem Variolas, quæ unam vel alteram tantùm perſonam in una regione occupant, quotidianâ experientiâ conſtat. Deinde omnes Variolæ malignæ eſſent, quia venenatus aër ſemper malignos morbos producit, cùm ſæpiùs tamen malignitatis expertes ſint, id, quod ex levitate ſymptomatum & vacuitate à periculo patet. Si Variolæ à ſolo aëris vitio dependerent, omnes promiſcuè, etiam ii, qui eas jam perfectè ſuſtinuerunt denuò corriperentur, ſed contrarium experientia evincit.

VII.

Fuchſius lib. 5. de ratione med. c. 9. ſtatuit, eas à κακοχυμία produci, quando natura profundum corporis expurgat: verùm cur non omnes ii Variolis conflictantur, qui vitioſis humoribus onuſti ſunt? verno præſertim tempore, quo juxta Gal. comm. 3. aphor. 20. τὸ βάθος τοῦ σώματος ἐκκαθαίρεται, *profundum corporis expurgatur*, quia tunc temporis cutis relaxatur, quò faciliùs pravos humores recipere queat. Videmus certè in iis hominibus, qui ſemel à vitioſa labe perfectè expurgati ſunt, quòd non iterum relabantur in Variolas, quamvis vitioſis humoribus ſcateant. Rari admodum ſunt, qui bis terve Variolis affliguntur, & non niſi à fomite ex priori morbo relicto ſuſcitantur, qui vel ob naturæ imbecillitatem, vel materiæ inobedientiam, vel vias impeditas perfectè expurgari non potuit.

VIII.

Mercurialis lib. 1. de morb. puer. c. 2. habet, Variolas novum eſſe morbum: ſuſpicatur parentes primùm ab aëre cœlitùs infecto contraxiſſe labem, eosque διάθεσιν quandam, cauſam Variolarum internam, retinuiſſe, quam in liberos poſtea, ſicut alios morbos hæreditarios tranſtulerunt, ſicque conſequenter genitores eam in poſteros in hunc uſque diem pro-

pagârunt. Verùm Variolæ novi morbi non ſunt, ut infrà patebit. Deinde quia διάθεσις illa juxta Mercur. propagari debet, ideò cauſa Variolarum in corpore permanet, ergò ſæpiùs homo in Variolas incideret, quod tamen quotidianæ experientiæ contradicit. Adhæc ſi Variolæ morbi hæreditarii eſſent, nunquam curari poſſent, quia omnes morbi hæreditarii juxta Hipp. Gal. & experientiam extirpari nunquam poſſunt.

IX.

Ut ad cognitionem cauſæ Variolarum perveniam, rem ſic concipio: Novi ex Authoribus vix unum ex decem millibus reperiri, qui Variolarum labem effugiat, (niſi mors præcox eos antevertat) ergò morbus omnibus communis eſt; at communis morbi communis eſt cauſa: ſcio præterea omnes ſemel tantùm ex Variolis decumbere (qui perfectè eas ſuſtinent) ergò talis communis cauſa eſſe debet, quæ penitùs tolli poteſt, & quæ redire nequit. Percurram igitur omnes cauſas, tùm internas, tùm externas, ut eam inveniam, quæ ejusmodi naturam obtinet, quam modò propoſuimus. Omnes cauſas brevitatis ergò ad ſequentia reduco, aërem, aſſumpta, ſemen, ſanguinem maternum.

X.

Aër, ſub quo comprehendo omnia in eo contenta, & omnes quæ in eo fiunt mutationes, non ſolùm à ſolis, lunæ & reliquorum aſtrorum motu, lumine & influxu, ſed etiam, quæ ex terrenis eum mutare poſſunt: ab his omnibus Variolæ principaliter dependere non poſſunt, quia quâvis aëris conſtitutione Variolæ contingunt, ſive calidus, frigidus, humidus vel ſiccus fuerit, ſive peſtilens & infectus, & ſub quavis conſtellatione, ergò alia cauſa ſubeſt.

XI.

Sub aſſumptis comprehendo aquam, fruges & fructus, lac maternum, &c. nec iſta Variolarum cauſæ exiſtere poſſunt, quia embryones aliquando Variolis infecti in lucem prodeunt, qui à prædictis cauſis affici non potuerunt.

XII.

Ex ſeminis vitio Variolæ dependere nequeunt, quia

morbi

morbi inde geniti unanimi Medicorum conſenſu incurabiles ſunt.

XIII.

Nobis reſtat ſanguis maternus. Statuimus ergò ex impurioribus ejus portionibus διάθεσιν ſeu aliquid fermento ἀνάλογον produci, quod ſi à cauſa aliqua procatarctica excitatur, ebullitio fit. (hinc patet variolas novos morbos non eſſe.)

XIV.

Inter cauſas procatarcticas palmarium tenent Aër malignus, calidus item & humidus. Cibi & potus vitioſi: Effluvia illa quæ ex corporibus variolis laborantibus procedunt.

XV.

Avicenna libr. 4. Can. fen. 1. tract. 4. c. 6. materiam noſtram explicat exemplo vini recentis, quod propter partes heterogeneas & impuras efferveſcit & ita depuratur: iſtud tamen exemplum mihi maximè in hoc claudicare videtur, quod variolæ non immediatè ab impuritatibus ſanguinis menſtrui producantur, ſicut ebullitio vini à partibus impurioribus illius, ſed aliquid aliud producitur, quod διάθεσιν illam conſtituit. Ratio hujus rei hæc eſt, quia mulieres ſuppresſione menſtrui laborantes, neq; ullis aliis evacuationibus purgatæ, neceſſariò in variolas inciderent, propterea maximè, quia impuritates in ſanguine minùs reſerratæ ſunt, quàm in partibus ſolidis, & proinde à cauſa leviori excitarentur.

XVI.

Dum ebullitio fit, calor præternaturalis excitatur, qui cordi communicatus, febrem efficit, quæ pro ratione ebullitionis, quantitate & qualitate materiæ jam intenſior eſt, jam ita remiſſa, ut vix percipi queat. Quoniam in hac febri nulla exacerbatio & remisſio deprehenditur, ſed univerſum illius tempus unâ veluti accesſione à principio ad finem conſumitur, & ad plures dies extenditur, ideò σύνοχος vocatur: in nonnullis calor ad tactum mitis & halituoſus eſt, & urina nullas putredinis notas habet, talis igitur febris imputris erit: in aliis calor acrior eſt, urina putredinis indicia habet, &c. ejusmodi igitur febris σύνοχος putrida erit: quidam corruptionem ſanguinis

cum

cum febre conjunctam habent, quod ex pulſu languido & inæquali, colore variolarum livido vel nigro, vomitione, dyſenteriâ, &c. patet: ideò tales febre malignâ laborare dicuntur.

XVII.

Avicenna loco ſuprà allegato ebullitionem conſtituit aliam perfectivam ſive depurativam, aliam verò corruptivam, vini exemplo hûc deductus, quòd in depurativa partes homogeneæ ab heterogeneis ſegregentur: in corruptiva, quòd in aliam naturam vinum abeat, v. g. in acetum: hoc mihi hîc obſervandum videtur, quod in ebullitione etiam depurativa, materia, quæ variolas conſtituit, talis à fermento illo facta ſit, alioquin ſi tanta copia impuritatis in corpore ſcateret, imposſibile videtur, quòd illa absque ulla corporis noxa per quadraginta vel ſexaginta ſæpè annos permanere poſſet.

XVIII.

Duo Variolarum tempora univerſalia ſunt: Unum ebullitionis, cujus principium eſt dies prima: augmentum; dies ſecunda: ſtatus, dies tertia: declinatio, dies quarta; quia hâc die febris & ſymptomata utplurimùm remittunt. Alterum tempus eruptionis, principium habet diem quartam, hâc die maculæ quædam rubræ apparent: augmentum ad diem nonam extenditur, ubi papulæ indies attolluntur: ſtatus ad diem undecimam, quo tempore ſuppuratio perficitur: declinatio ad vigeſimam diem protrahitur, donec nimirum variolæ exſiccatæ ſunt. Tempora iſta pro varietate ægrotantium variant, in iis enim qui validam naturam habent, materiam ſequacem, viasque apertas, citiùs erumpunt, contrà in aliis, qui contrarias conditiones posſident.

XIX.

Præſentes Variolæ oculis patent, imminentes verò artificio prævidentur. In iis facilè præſciri poſſunt, qui in epidemica conſtitutione corripiuntur, aut qui ex converſatione eorum afficiuntur, qui jamjam variolis decumbunt. Sporadicæ verò Variolæ difficilem habent diagnoſin, ſimilia quippe ſigna habent cum febribus ſynochis, aut malignis interdum. Ejuſmodi ſigna ſunt,

XX. De-

XX.

Deliria, quia ex ebullienti ſanguine vapores fervidi aſcendunt, qui cerebrum & ſpiritus turbant, unde ideæ in cerebro indebitè combinantur, ex qua præpoſtera combinatione deliria procedunt. Oculorum caligo, quando prædicti vapores vel nervum opticum occupant & ſpirituum animalium influxum impediunt, quemadmodum in gutta ſerena leviori fieri ſolet, vel quando ſeſe humori aqueo miſcent, ut in ſuffuſione leviori aut ſpuria. Aurium tinnitus, ſibilus, murmur, quando aër in auris cavitate contentus à vaporibus variè movetur: ſi paucus ſit vapor, tenuis & celeriter moveatur, tinnitum excitat: ex multo & tenui vapore, quique celeriter movetur, ſibilus oritur: ſi multus ſit, craſſus & lentè moveatur, murmur.

XXI.

Pruritus narium, oculorum, aurium, punctionis ſenſus in toto corpore, à vapore acri partes illas vellicante. Dolor lumborum & dorſi oritur ex ſanguine efferveſcente, & multos vapores emittente, unde aörta & cava diſtenduntur, quæ vaſa in ſubjectis ſibi partibus quoque ſolutionem continui inferunt. Manuum & pedum tremor dependet vel à copia halituum, vias ſpirituum animalium obſidentium, eorumque influxum impedientium: vel quando à calore febrili, vigiliis, &c. ſpiritus disſipantur. Unde etiam virium infirmitas. Si ſpirituum exolutio major ſit λειποθυμία *animi deliquium*: ſæpè in Variolis malignis à venenata qualitate producitur, à qua ſpiritus corrumpuntur.

XXII.

Humores iſti, vel vapores acres, vel maligni, ſuperius ventriculi orificium aliquando impetunt, unde καρδιαλγία. Singultus, quando eandem materiam tunicis ventriculi impactam facultas expultrix excutere conatur. Nauſea & vomitus fiunt à materia in cavitate ventriculi contenta: nauſea quidem, ſi ventriculus rem noxiam excernere non poteſt: vomitus, quando ventriculus rem moleſtam ſenſibiliter per ſuperiora violento motu rejicit. Motus convulſivi, quando genus nervoſum à prædicta materia vellicante afficitur. La-

chrymæ involuntariæ fiunt, vel quando humores à calore febrili fuſi in oculos defluunt, vel quando acrimonia halituum tunicas oculorum ſenſiles pungit; res enim mordentes lachrymas excitant, uti exemplo ceparum, raphani marini doceri poteſt.

XXIII.

Oſcitatio, pandiculatio, capitis gravitas, tumor faciei cum aliquo rubore, ſpirandi difficultas: iſta omnia fiunt à vaporibus multis & craſſis maxillarum & artuum muſculos, caput, faciem, diaphragma, & reliquas partes reſpirationi inſervientes, occupantibus. Calor in toto corpore, oris ſiccitas, ſputa craſſiuſcula, à calore febrili oriuntur, per totum corpus diffuſo, & humiditatem oris tenuioresque ſputi partes conſumente. Raucedo, ſternutatio ab acrimonia materiæ producuntur tracheam exaſperantis & facultatem cerebri irritantis. Capitis dolor aut à materia opplente, aut diſtendente, aut mordente fit.

XXIV.

Salutares eſſe ſolent Variolæ, quæ paucæ, rotundæ, faſtigiatæ, ſuprà albæ, infrà in baſi rubræ; quæ citò exeunt, quæ non retrocedunt, quæ citò ad maturitatem perveniunt, quæ externas tantùm partes occupant, quæ nulla gravia ſymptomata adjuncta habent: hæc omnia naturæ robur validè expellentis, viarum liberum tranſitum, materiæ morbificæ benignitatem, paucitatem, obſequium, oſtendunt.

XXV.

Periculoſæ aut lethales ſequentes eſſe ſolent, quæ tardè exeunt, quæ depreſſæ ſunt, quæ retrocedunt, quæ internas partes occupant, quæ virides, lividæ, violaceæ, nigræ ſunt, quæ febrem non minuunt, quæ duræ ſunt, quæ deliria, convulſiones, difficultatem locutionis, deglutitionis, reſpirationis, ſitim inexhauſtam, dyſenteriam, ſyncopen, mictionem cruentam, aliaque id genus mala adjuncta habent. Iſta omnia denotant naturæ imbecillitatem, materiæ morbificæ multitudinem, craſſitiem & viſcoſitatem, acrimoniam & malignitatem, viarum occluſionem, igneum intùs calorem latentem,

tem, inflammationem aut exulcerationem pulmonum, tracheæ, gulæ, inteſtinorum, renum, calorem nativum penitùs ferè extinctum.

XXVI.

Rationalis curandi methodus indicationibus nititur, quæ ſumuntur à tribus indicantibus, morbo, cauſa morbi & viribus: ad hæc tria omnia indicata dirigenda ſunt: ſymptomata, ſublatis morbo causâque morbificâ, ſponte evaneſcunt, iis tamen, ſi gravia ſunt, occurrendum eſt, non quatenus ſymptomata ſunt, ſed quatenus cauſæ rationem habent, uti Galo l. 12. m. m. c. 1. docet.

XXVII.

Sanguis nimiùm efferveſcens mitigandus eſt: ſi copiâ abundet, tollendus: ſi κακοχυμία in primis viis ſeſe offerat, eximenda eſt: ſi malignitas adſit, alexipharmacis obtundenda eſt: natura debiliùs expellens adjuvanda: humores, ſi crasſiores fuerint, attenuandi ſunt: viæ obſtructæ aperiendæ: vires languidæ roborandæ: puſtularum ſuppuratio, ſi crudæ & duræ fuerint, promovenda erit: ulcera ſordida ſananda: cruſtæ duriores emolliendæ: vitioſus color extinguendus: fœdæ cicatrices, foveæ & veſtigia, quantum licet, obliteranda ſunt: partes, quæ à Variolis lædi poſſent, muniendæ ſunt, ne cauſa morbifica eas invadere queat. His indicationibus ſatisfiet inſtrumentis diæteticis, pharmaceuticis & chyrurgicis.

XXVIII.

Æger in loco calidiuſculo detineatur, & ſtragulis moderatè contegatur, quò citiùs pori aperiantur & Variolarum eruptio adjuvetur; nam qui frigido aëri ſe exponunt, materiam morbificam ad partes interiores & nobiles repercutiunt, quod periculoſum, in iis præſertim Variolis, quæ venenoſitatis participes ſunt. Qui verò hypocauſta nimiùm calefaciunt, & ægrotantem nimiùm ſtragulis onerant, febris ardorem intendunt, cephalalgiam excitant, ſitim movent, vires exſolvunt, & ægrotum in ſyncopen ſæpè præcipitant.

XXIX.

Victus in Variolis tenuis eſſe debet, ebullitionis impri-

mis tempore, quia Variolæ ex acutorum numero ſunt, quibus talis victus convenit: Vitanda ſunt acria, ſalſa, pinguia, dulcia, & quæcunque ſanguinis ebullitionem & acrimoniam augere poſſunt: Refrigerantes & parùm adſtringentes cibi hîc maximè conveniunt, quia ſanguinis fervorem temperant, & partes internas roborant, quales ſunt hordeacea, juſcula confecta ex decocto carnium gallinæ, capi, vervecis, cum lactuca, endivia, acetoſa, borragine vel bugloſſa. Potus ſit decoctum cornu cervi, vel ptiſana ex decocto hordei & liquiritiæ parata, cui aliquid ſucci granatorum vel citri addi poteſt. Vinum ſanguinis fervorem auget, ideò tempore ebullitionis omninò non convenit.

XXX.

Corpus in quiete tenendum eſt, & loco exercitii frictiones in manibus & pedibus maximè conferunt, quia ſic cutis rareſit, & materia morbifica à centro ad circumferentiam attrahitur. Somnus moderatus eſſe debet, quia nimius fervorem ſanguinis auget. Alvus ſi adſtricta ſit, blandisſimè laxanda eſt clyſtere parato ex decocto hordei, paſſularum & liquiritiæ cum ſaccharo & vitellis ovorum: vel ſuppoſitorio ex ſolo melle. Animus ægrotantis in tranquillitate tenendus eſt, eruptionis tamen tempore, quando Variolæ ſegniùs prodeunt, ira moderatior exitum earum juvare poteſt.

XXXI.

Venæſectio non niſi ab initio morbi celebranda in iis, qui plethorâ onerati ſunt, quia aliis temporibus Variolarum materiam ab habitu corporis revelleret: Pueruli & ii, qui malignitate, aut aliunde vires fractas habent, à venæſectione arcendi ſunt, (niſi ſumma necesſitas urgeat, & ſummâ cum cautione adminiſtretur) quia vires eorum languidæ eam ferre nequeunt. Poteſt, ſi ſanguis quantitate peccet, & reliqua conſentiant, poſt Variolarum eruptionem ſanguis detrahi cucurbitulis ſcarificatis, nam ſic motus naturæ à centro ad circumferentiam promovetur.

XXXII.

Quando *κακοχυμία* abundat, commodè purgatione imminuitur, ſed ante eruptionem Variolarum inſtituenda, & ex blandis

blandis medicamentis tantùm conſtare debet, ut caſſiâ, mannâ, ſucco roſarum, alioquin naturæ motus turbaretur.

XXXIII.

Si natura tardè, languidè & imperfectè materiam morbificam ad habitum corporis expellit, tunc adjuvanda eſt remediis, hoc præſtabit ſequens julepus. ℞. Rad. fœnic. ſcorzoner. angelic. an. ℥ij. fol. ſcabioſ. ſcord. & hyperic. an. M. ij. ſem. napi, C. benedict. an. ʒij. ficuum pinguium par. v. coquantur in ſ. q. aq. commun. ad ℔ j. ſſ. de colatur. cape ℥iij. ſyrup. delimon. ℥j. miſce, fiat julep. Hoc julepo etiam malignitas, ſi aliqua adeſt, obtunditur, & ad cutem propellitur. Idem efficaciùs præſtant ea quæ ſequuntur. Sal volatile viperarum, ſal eſſential. C. benedict. bezoard. mineral. bezoard. jovial. antimonium. diaphoret. &c.

XXXIV.

Tanta interdum adeſt ebullitio, & tanto cum impetu Variolæ erumpunt, ut ſanguinis fervor ipſo eruptionis tempore refrigerantibus temperandus, & motus ejus aliquantiſper cohibendus ſit, alioquin ægrotantes in vitæ periculum adduci poſſent: ideò donec fervor aliquantulum remiſerit, ſequens julepus adhibendus eſt. ℞. Rad. pentaphyll. tormentill. lapath. acut. an. ℥j. ſſ. fol. endiv. acetoſ. plantag. an. M. i. ſſ. lentium excort. ℥. ſſ. ſem. lactuc. pſyll. an. ʒiij. coquantur ad ℔ j. in colatur. diſſolve ſyrup. granat. ℥iiij. fiat julepus.

XXXV.

Quando Variolæ tardè ad maturitatem perveniunt, ſuppuratio promovenda eſt iis, quæ moderato calore & humiditate prædita ſunt, nam iſtis remediis calor nativus in cute adjuvatur, & ſic materia morbifica concoquitur, & in pus commutatur, ejusmodi remedia ſunt ol. lilior. albor. chamœmil. unguent. dialth. &c. his Variolæ ſæpè inungendæ ſunt.

XXXVI.

Ulcera aliquando ſordida poſt Variolas remanent, quæ ſequentibus abſtergenda, ſiccanda & conſolidanda ſunt: unguent. de tutia, de lithargyr. album camphorat. Rubedo faciei, vel plumbeus color, aliæque maculæ, quæ poſt ablatas

Variolas apparent, ſequentibus tolluntur: aqu. flor. fabar. tiliæ, ol. talci, de camphor. &c.

XXXVII.

Foveæ & veſtigia Variolarum oriuntur, quando ægrotantes ſcalpendo ulcera profundiora reddunt, vel quando materia Variolarum acrior eſt, vel quando pus non maturè educitur, hinc acrimoniam acquirit: præcaventur aliquatenùs foveæ iſtæ, quando acrimonia materiæ ulcera efficientis mitigatur inſpergendo ſæpiùs lac muliebre, vel inungendo ulcera butyro inſulſo: ol. recent. amygd. dulc. vel ℞. Rad. alth. malv. an. ℥ij. fol. pariet. atripl. violar. an. M.j. ſſ. ſem. lini. fœnugræci an. ℥. ſſ. flor. chamœmel. melilot. an. pugill. I. ſſ. coquantur in ſ.q. aqu. font. colaturâ calidâ, madefiant ſæpè Variolæ cum bombace aut linteo tenui.

XXXVIII.

Oculi aliquando per plures dies clauſi manent, fitque vel interventu materiæ viſcidæ palpebras conglutinantis, vel quia ob cruſtam, quæ ſuperiori palpebræ inducta eſt, illa attolli nequit: aperiri autem debent oculi, ne à pure vel ichoribus ulcerentur. ℞. Aq. roſar. euphraſ. fœnic. chelidon. an. ℥. ſſ. his linteolæ madefiant, & tepidè oculis admoveantur. Cruſta emollienda eſt butyro inſulſo & recenti, cremore lactis, &c.

XXXIX.

Foveæ & veſtigia Variolarum jam facta, integrè curari non poſſunt, quia cutis non ampliùs regeneratur juxta Gal. l. 3. m. m. c. 5. ſed aliquid cuti analogum generatur: multa circumferuntur, quibus inſignis facultas ad hoc præſtandum tribuitur, quales ſunt pinguedo humana, lupina, cinis teſtudinum combuſtarum. Foreſtus l. 6. obſervat. 58. ſequens compoſitum miris laudibus effert. ℞. Ol. amygd. d. ℥. ſſ. ol. lil. alb. ℥j. axung. capi. pingued. aſin. vel hujus loco hircin. ℥. ſſ. ſarcocoll. ʒ. ſſ. far. oryz. lupin. an. ʒj. lithargyr. aurei ʒ. ſſ. pul. rad. bryon. ireos, an. ℈. ſſ. ſacchar. cand. ʒj. contunde contundenda in mortario ſuperinfundendo aq. roſ. lil. alb. fabar. an. q. ſ. his benè mixtis, & per linteum expreſsis, inunge dicta loca manè & ſerò. Ego certè iſta non magnifacio, cùm ſæpiùs abſ-

que

que fructu adhibita viderim. Suppuratæ Variolæ, quæ magnæ ſunt, & quæ magnum pruritum excitant, ſi pus ſponte non exit, inſtrumento vel ferreo, vel ex alio metallo confecto aperiendæ ſunt, quia acrimonia, quæ pruritum excitat, ſubjectas partes corroderet, & ſic ulcus majus efficeret, unde foveæ & veſtigia relinquerentur.

XL.

Vires, ſi debiles factæ ſunt, reſtaurandæ ſunt. ℞. Caponem benè habitum, deplumetur, exenteretur, ac in fruſtra dividatur, à quibus pinguedo & pellis detrahantur, ponatur in vitro optimè clauſo ſuo operculo, & probè lutato cum farina aqua ſubacta, ponatur in B. M. per quinque horas, refrigerato B. M. exprimatur ſuccus, in quo diſſolve parum confect. de hyacinth. de quo juſculo capiat ſæpiùs cochlearia duo.

XLI.

Multæ partes tùm internæ, tùm externæ muniendæ ſunt, ne à Variolis occupentur, quia in multis partibus inſignia mala inferre poſſent, ab ulceribus in inteſtinis dyſenteria producitur, in pulmonibus phthiſis, in oculis aliquando unguis oculorum, vel ex profundiori ulcere effuſio humoris aquei, in auribus ſæpè ſurditas, vel gravis auditus, &c.

XLII.

Præſervantur autem ab iis, quæ adſtringendi & repercutiendi vim habent, & quæ partes illas corroborant. Pulmones defendit ſequens lambitivum. ℞. Syrup de roſ. ſicc. jujubin. an. ℥ j. ſſ. ſyrup. de papav. ℥. ſſ. miſce, utatur frequenter ex cochleari ſenſim lambendo. Fauces præſervat ſequens gargariſma. ℞. Aqu. plantag. centinod. burſ. paſtor. an. ℥ iiij. in quibus diſſolve ſyrup. de moris, granat. myrthin. an. ℥ j. fiat gargariſma. Ventriculum & inteſtina ſequentia defendunt. ℞. Conſerv. roſar. antiquæ, rad. ſymphit. major. an. ℥ j. cydoniat. ℥. ſſ. myrobal. condit. n. 1. trochiſc. de carabe & de terra lemnia an. ʒ ij. croci martis ʒ j. cum ſyrup. de roſ. ſiccis, fiat opiata.

XLIII. Re-

XLIII.

Renibus confert emulſio ſem. frig. maj. cum trochiſcis alkekengi. Oculi præſervantur collyrio ſequenti. ℞. Aq. roſar. plantag. an. ℥j. pulver. ſem. ſumac. ʒj. infundantur parum, & calidè colentur cum multa expreſſione, colaturæ: adde camphor. ℈. ß. fiat collyrium, de quo ſæpiùs in oculos inſtillandum. Turunda hoc collyrio intincta, in nares ſæpè immittenda eſt, quæ eas præſervabit. Iisdem remediis aures muniri poſſunt. Nonnulli faciem etiam cuſtodiunt: ſed hoc non approbo, quia natura multas impuritates ad eam amandat, quæ intùs retentæ gravem noxam inferre poſſunt.

DEO T. O. M. SIT LAUS ET GLORIA.